

89  
/

MARTINALIA,  
SIVE DE ORIGINE  
FESTI MARTINIANI ET


MORIS VETUSTI, QVO DIES  
ILLE QVOTANNIS OMNI GENERE  
laticia & conviviorum solennitate, ac  
inprimis mactatione anseris celebratur,  
fabula de Lupo & Anseris expositi, qui-  
bus deinde per occasionem nonnulla in-  
seruntur de laudibus anseris, & quas vtilitates  
non tam ciborum delicijs, quam alijs  
ad vitam pertinentibus, homi-  
nibus afferat.

DICATA  
NOBILI PARI AMI-  
CORUM, Dn. PAULO à GISBICE  
PRAGENSI, POETÆ NOB. CÆS. &c.  
ET Dn. JOHANNI CZERNO-  
VICENO, Civi PalæoPragenfi.

AUTORE  
HENRICO CLINGERIO DE ABIETO  
Mysiemontano &c.

*Praga, Excudebat Paulus Sessius 1606.*


*Dno Michaeli Piccaro, Professo. Morico  
Praga m. d. c. lvi*





EPIGRAMMA AD AUTOREM.

**S**unt perlecta tua mihi *MARTINALIA* Musa,  
Clingeri, doctum clangere nate melos.  
Ut placet, ant, quaris? sunt succo & sanguine plena,  
Totaq; Musco melle referta madent.  
Scripsit idem quondam, prima in fervore iuventa,  
Qui nunc *ARMA VIRUM* Leucoris urbe docet.  
Quiq; in eneidio pupillas taxat, ineptos,  
Equorum numero maximus ante fuit.  
Sed tua quam numeris prestent acpondere rerum,  
Et quam sedati fluminis instar eant;  
Dum video, panè invideo: nam fursure pasci,  
Polline neglecto, non tibi mente sedet.  
Quin potius puram liquidis è fontibus undam  
Hauris, nec putres viù adijssè lacus.  
Æstimet hinc *LECTOR*, quid distet ab Anserè *Cygnus*,  
Cum tu suave magis carmen olere canas.  
Gi ga ga gi ga ga gi ceu gratitat improbus Anser;  
Sic quidam (vatum fursur inane) sonant.  
At quis non malit clangentis carmina *Cygni*,  
Quàm niger *Archaicum* quod strepit Anser *Epos*?



Paullus à Gisbice,  
Iudibundus scripsit.



## MARTINALIA.



*Nnua iam redeunt genialis tempora luctu,  
 Quae MARTINE tuis festa dicata sacris.  
 Currere si nudos conspexit Roma Lupercos,  
 Orgia Lenae quo sua nomen habent.  
 Saturnalitijs eadem si Roma diebus  
 Pectora leticiae dissoluenda dedit,  
 Compitaq; & vici sua Paganalia passim,  
 Cum delubra suis dedicat, ara Deis;  
 Cur non hic etiam sua MARTINAEIA Divum  
 Festa colat, laetis concelebranda modis?  
 Si vici dapibus, si vino indulget Iacehus,  
 Non minus huic genio dedita vita fuit.  
 Cur eadem priscis Pithoegia dicta Pelasgis?  
 Et cur Vinales constituere dies?  
 Quod tunc vasa novo relinunt spumantia Baccho,  
 Anseribusq; nigrum scribere theta solent.  
 Vos duo, dum festi mihi dicitur huius origo,  
 Qui duo corporibus, mentibus unus homo.  
 Tu GISBICE, decus vatum Boiemidos, & tu  
 Veridica fidei CERNOVICENE nota.  
 Qui quoties grandi lituote carminis effers,  
 Cuncta Maroneo verba colore nitent.  
 Huc afferte pedem, & causas evolvite mecum,  
 Dignior haud alijs carminis iste lepos.  
 Sed quia Numinibus rerum sacratur origo,  
 Est opus auxilio turba novena tuo.  
 Dicite Pierides (namq; omnia nosse potestis)  
 Vnde suos ortus lux ea festa trahat.  
 Sic ego, sic dictis responderat una sororum,  
 Fallor, an à vocis flore Thalia fuit?*

Undiq; circumstat, præstatq; silentia dictis,  
 Et favet assensu cætera turba suo.  
 Fabula narratur vix ulli audita priorum,  
 Nunc primum versu nota fit illa meo.  
 Tempus erat, quo cuncta gelu constricta rigescunt,  
 Et stringit lucas Sol breviora mora.  
 Arborej nivium curvantur pondere ramj,  
 Et vi ventorum nix glomerata iacet.  
 Equora per campi decurrit turba luporum,  
 Quos ventris rabies extimulantis agit.  
 Rustica visuros circum magalia, se qua  
 Incustoditum servet ovile pecus.  
 Unus, & hic ventris stimulis agitalus amavis,  
 Dum vacuo querens circuit ore cibum;  
 Non pecudem (pecudes servabat, cauta) volucrem  
 MARTINI agricola conspicit ante casam.  
 Nec mora, corripuit subito, colloq; præhensam,  
 Ut laniet, secum per vagâ rura trahit.  
 Anser ut aspexit, sibi vitæ instare pericla,  
 Fert avido supplex talia vota lupo;  
 O lupe (nam te nunc duris incessere verbis,  
 Non mihi, placatum dum volo, tempus erit)  
 Si fati vocat hora me, si improvidus egi,  
 Si vis ieiuno me facere ore cibum,  
 Per superos oro, per, si quid dulce tibi usquam est,  
 His tribuas verbis supplicis oro locum.  
 Mitte parum, & nostræ quæ sint solatia moris,  
 Me finito cantu claudere fata tuo.  
 Sic anser, tacitè lupus hæc sed voluere secum;  
 Non bene ieiuno carmen ab ore venit.  
 Si prius edissem, meliorem fundere cantum,  
 Et poteram ductis me recreare choris.

Nec

Nec minus exacuit dentes, ut fecerat ante,  
 Et surda spernit supplicis aure preces.  
 His nihil effectum est, alias se vertit ad artes,  
 Et quid non vitæ cogit & audet amor?  
 Ipse sibi niveas vellit de corpore plumas,  
 His texit rapida mollia ferta fera.  
 Ut contexta fuit rara & plumosa corona,  
 Imponit capiti raptor acerbe tuo.  
 Et placet ipse sibi, subit & ductare choreas  
 Hunc amor, ut voluit, res ita cedit avj.  
 Huc illuc saltare rapax & ducere restim,  
 Orgia ceu Bacchi nunc celebranda forent.  
 Non oblita suj tali est in sorte volucris,  
 Sed videt, clabi qua ratione queat.  
 Dum feruent choreæ, minimè dum cura rapaci est,  
 Avolat, & tranans aëra dixit avis;  
 Qui me cunq; Deus cœles, vel numen amicam  
 Eripit è ricu raptor avare tuo:  
 Non desiderium tangit, non ulla choreæ  
 Cura tua, longum raptor acerbe vale,  
 Stabat triste videns, cernensq; in nube volantem,  
 Devoret his verbis seq; suamq; fidem;  
 Ah miser, insidijs cur unquam falsus amicis,  
 Sustinuj captæ fidere stultus avj?  
 Quis malus aut Damon, aut alea sortis iniquæ  
 Me iussit vacuo ducere ventre choros?  
 Iam nulli volucris concedat bestia, quamvis  
 Omnes astringat religione Deos.  
 Iuro ego cunctorum per vitam, animamq; luporum,  
 Non impunè ferent, si qua lupina fides.  
 Omne genus volucrum luet has in sanguine penas,  
 Quæ se MARTINI dicere gaudet avis.

Bive aestas, seu frigus erit, lux, siue sopor  
Umbra, sibi caueant semper ab hoste lupus.  
Sic minitans, sic voce querens sua damna leuabat,  
Audijt, & verbis talibus anser ait ;  
O lupe crudelis, fera sis astuta licebit,  
Te Tarpeia tamen tarda fefellit avis.  
Nam mihi non tribuo, quod vivo & remigo pennis,  
Est alius, predam qui vetat esse tuam.  
Ille bonus nostri generis, cæliq; patronus  
MARTINVS, rutili miles, equesq; polj.  
Tres sunt in cælis equites, MARTINE, Georgi  
Vos primi, Victor tertius arma gerit.  
Astittit ille mihi, cum me sub fauce teneres,  
Abs te seruator ego cælitis huius ope.  
Hic mihi consilium dedit, ut per plumea ferta  
Te caperem, & saltu ter paviente pedum.  
Nam non nunc primum, sepe ante à vulpe, lupog;  
Seruavit, sepe huic debita vita fuit.  
Pro quibus officijs ego me, corpusq; sacravj  
Huic Divo, quo non dignior alter erat.  
Ille meum primus corpus, carnemq; comedit,  
Dignior hic, quam tu raptor avare, fuit.  
Hinc mos ille manet longos servatus in annos,  
Quem quoq; solennem postera turba coles.  
Vt cum vina cadis iam serus condidit annus,  
Et sua MARTINI festa November agit ;  
Anser ego pingui verubus transfixus inundem,  
Me ponant epulis, & nova musta bibant.  
Vix alij facerent, ut vitam impendere vellent,  
His Divj meritjs sic ego gratis eram.  
Hactenus exceptit dicit Tarpeius anser,  
Cum damno fugiens fert sua probra lupus.

Quod

Quod tamen hunc Divum sensi indulgisse Lyxo,  
 Cum vulgo fateor me sine teste loqui.  
 Quorum festa madent epulis, & nectare Bacchi,  
 Hos etiam vino permaduiffe putant.  
 Quales MARTINVS, qualis Burcharde fuiffi,  
 Quos primj autumnj ferior hora colit.  
 Vt nunc Burchardum mittam, qui Præful & ipfe  
 Herbipolitana gloria fedis erat,  
 Atq; hunc errorem tibi de pulmone revellam,  
 Accipe de nostro vera relata fene.  
 Pannonius MARTINVS erat, Ticinidos urbis  
 Moribus excultum ludus & arte dedit.  
 Nam Martis Studijs primos licet egerit annos,  
 Se fator placida plus pietatis erat.  
 Vir pius in nudos, & egena fortis homullos,  
 Vnica pars verfu non reticenda meo.  
 Vrbis iacet in Gallis ad Somæ fluminis undas,  
 Fallor, an à populis Ambia nomen habet?  
 Hic cum per vicos medijs algoribus iret,  
 Caftrenfiq; fago corpus amictus erat;  
 Nudus, egenusq; tremens & frigore membra rigentè,  
 Obvius hunc parva vir rogat ara stipis.  
 MARTINVS cum nil aliud, quod ferret, haberet,  
 Atq; indonatum nollet abire virum;  
 Educto gladio partem de vefte recifam  
 Dat. mifero, vt nudi corporis offa tegat.  
 Altera nox illi fic Christum fiftit amictum,  
 Narrantem angelico talia verba choro;  
 Aspiciate ô sancti genij, cœliq; ministri,  
 Hanc laudem in cœlis nunc ea veftris habet.  
 Me pius hac Christi miles donavit, egenis,  
 Nam mihi donatum, quod datur, esse puto.

*Tempore ab hoc totum tibi sese addixit Hilarj,*  
*Qui pius antistes Pictaviensis eras.*  
*Turoniq; pius Præsul, faciensq;, docensq;*  
*Sacra, sacras longo tempore rexit opes.*  
*Æstimet hinc æquis censor, MARTINIA virtutem*  
*An fuerit Sacris dedita, sive gula.*  
*Quod tamen hic error ferme pervasit in omnes,*  
*Non vicium, ratio temporis illa facit.*  
*Corpora frigidior tunc ambit sideris aer,*  
*Vinitor autumnus tunc sua regna metit.*  
*Tunc veniunt turdi, tunc est pinguis anser,*  
*Cum sua per stipulas pabula quærit avis.*  
*Tunc vino ingesto, & demessa fruge triumphant,*  
*Et sibi iam melius quilibet esse cupit.*  
*Nos ergo ad luxum tempus, genialis & annus,*  
*Non Sancti vocitant illa vel illa dies.*  
*Sic quoq;, qua vanum exponit tunc cornua pistor,*  
*Hoc à MARTINI tempore nomen habent.*  
*Hostes ille sua plures pietatis habebat,*  
*Crede qui sanctum non potuere virum.*  
*Hos malè persuasos nova per miracula refellit,*  
*Quæ probat. afflatum numinis ille sui.*  
*Aegroto vix corde trahens spiracula vitæ,*  
*Iam morti propior Vacca iacebat humj.*  
*Hanc morbo relevare volens, & morte propinquæ,*  
*Apprendit manibus cornua panda suis.*  
*Dumq; ita corripuit, ima à radice revulsa,*  
*In manibus cernit cornua bina suis.*  
*Vacca resurgit humo; vetus hinc mos ille remansit,*  
*MARTINI ut comedant cornua pista die.*  
*Hinc est, vaccarum bona pars cum cornua gestet,*  
*Sunt quoq;, qua nullis cornibus arma gerant.*



Caelite de nostro vulgi mala sensa refelli,  
 Anseris hinc laudes & benefacta canam.  
 Tarda ferè & simplex avis est Tarpeius anser;  
 Hinc contempta ferè est, inde malè audit avis.  
 Nam perhibent nostri; & Rhenum transvolat anser,  
 A Rheno talis, ceu fuit ante, redit.  
 Non rem natura, sed prudens aestimat. usu,  
 Vincitur ingenium commoditatis ope.  
 Namq; quid utilius, si, quicquid corpore in ipso,  
 Seu vocem spectes, anserè mundus habet?  
 Hec avis excubijs Tarpeia imponitur arcis,  
 Hinc Capitoline nunc quoq; nomen habet.  
 Cum gens Gallorum Romanam invaderet arcem,  
 Et premeret sacras obsidione vias;  
 Anseris excitus vigili clamore Camillus,  
 Qui forti ante alios pectore notus erat,  
 Intentos spolijs hostes reiecit ab arce,  
 Et ferme cunctos militis ense necat.  
 Hinc Capitoline servatrix dicitur arcis  
 Hæc avis, at, virtus proxima causa Ducis.  
 Aspice nunc, quo sit vestitum vellere corpus,  
 Non alas frustra, non leve vellus habet.  
 Vt lana uestitur ovis, ceu turba ferarum  
 Et pecudum denso corpora crine tegit.  
 Vtq; alia volucres plumis armantur & alis,  
 Has quoq; sic vestes fertilis anser habet.  
 Nam licet haud longè se caeli tollat. in auras,  
 Nam nimij moles corporis illa vetat;  
 Quæ tamen & plumis, quæ præstet remige pennas,  
 Si libet, è multis hæc bona lector habe.  
 Nam licet in tabulis scribebat. docta vetustas,  
 Et quo, seu graphium, seu stylus ille fuit.

*At nunc pro tabulis successit plagula chartæ,  
 Exarat, hac pulcras anseris ala notas.  
 Penna est doctorum, Scribarum penna corona  
 E medio multos pulvere ad alta levat.  
 Non Rex, non Princeps, non hac Satrapæa carere,  
 Non urbs, non regio, non domus ulla potest.  
 Hac sacra scribuntur divini oracula verbi,  
 Quicquid habent amplis lura voluminibus.  
 Quicquid habent artes medica, servatur & omnis  
 Annorum series, omnis & artis honos.  
 Nam licet, ars typicis quæ format cuncta figuris,  
 Utilis edendis illa reperta libris  
 Nil typus extundit, quod non scriptoris in arte  
 Ante fuit, tantum penna valoris habet.  
 Hac omnes actus, hac omnis syngrapha constat,  
 Verbaq; amatori mittit amica suo.  
 Ambiguum tamen est, plus præstet commoda rebus  
 Penna volans, an plus afferat, illa malj.  
 Illa ferit lites nonnunquam, & iurgia necdit,  
 Illa parit rixas & fera bella movet.  
 Sæpe etiã famam ledit virosa honorum,  
 Et iacit in sanctos impia verba Deos.  
 Non secus ac hominis pars pessima & optima lingua  
 Ut probat, Aesopus, nobilis ille Sophus, est,  
 Hic ab hero missus, deterrima & optima, Xantho,  
 Ut coëmat, linguas attulit ille foro.  
 Sic veluti lingua est, sic sunt scriptoris & arma,  
 Ut multum prodest, sic quoq; penna nocet.  
 Non hac causa rei est, nec res damnatur abusu,  
 Improba mens hominis talia multa movet.  
 Non medicina mala est, quod plures cernit Agyras,  
 Non Ius, quod rabula femina vitis alunt.*

Hæc

Hac bona dat. calamus, præreptus ab anseris ala,  
 Accipe nunc plumas, hæc quoq; pondus habent.  
 Hac quia pulvi nos, & cervicalia vestit,  
 Hac bene nos noctu culcitra farta tegit.  
 Cui non est lectus, paleis indormiat ille,  
 Aut sua straminibus corpora fulta levet.  
 Nunc ad Tarpeij descendimus anseris esum,  
 Corpore commendat, seq; suaq; dapes.  
 Bilbico turdus vati inter secla volucrum,  
 Inter quadrupedes gloria prima lepus.  
 Tolle tuum leporem, melius nil ansere novj,  
 Inter aves palmam sartilis anser habet.  
 Præcipuè grave si conditur aromate corpus,  
 Aut ius, seu coctus, carne vel assus eat.  
 Præcipuè si sit pomis differtus & herba,  
 Que de Mausoli coniuge nomē habet. (Artemisia)  
 Vel si castaneas, aut poma Cydonia malis,  
 Aut pyra, nam faciunt hæc quoq; poma gulam.  
 Alter & ille Deus vini plantator Jaccus  
 Addat. Latificj munera rara merj.  
 Nec tamen hæc dico, quasi ludo edoctus ApicI,  
 Nostra sed has ita quod Misnia condit aves.  
 Quatuor & deni turdi, sit & unicus anser,  
 Hac bona quindenæ pars celebrata Struiv.  
 Optio si detur, turdorum linquo salivam,  
 Si pro quindenis unica detur avis.  
 Est etiam laudatus adeps, nil fertilis horti  
 Quam sifer & canles rectius ungit adeps.  
 Servit & aucupibus, volucres qua decipit auceps,  
 Tibia dat. cannas, anseris illa fuit.  
 Venturas hyemes discunt ex osse colonj  
 Pectoris, an longum, vel breve frigus erit.

Sed

Sed brevibus numeris comprehendat, ut omnia feri  
 Et ceu fasce levi cuncta ligata feras:  
 Anser ubi vita finem moriturus adivit,  
 Legatum fecit corporis ipse sui.  
 Utq; feré à summo incipiam, cum gutture collum  
 Cantorum turba garrulus ille dedit.  
 Ossa dat, aucupibus, geminas dat, furibus alas,  
 Ut sua furtiva tegant, arripiantq; fugam.  
 Cursori cessere pedes, mendacibus umbo  
 Ventris, amatorum fert levis ordo iecur.  
 Venter edâx stomachum capit, & qua viscera ventri  
 Addita sunt, raptos ut coquat, ille cibos.  
 Hæc eadem magno præcisa a corpore iunctim  
 Dat, cocus, hinc nomen iunior anser habet.  
 Plurima sunt etiam, quæ nomen ab anserè sumunt,  
 Seu res, mortales dicere sive velis.  
 Cinna procax vates, Cinnaq; procacior olim  
 Anser erat, notus carmine Nasotuo.  
 Ille pius Martyr, quem tu Constantia damnas,  
 Hic quoq; Boiemi nominis Anser erat.  
 Anser hic assatus lento fuit igne, sed illi  
 Successit vivo numine plenus Olor.  
 Huic fraus nulla doli potuit, nec flamma nocere,  
 Liber & innocuus sidera ad alta meat.  
 Quæ massa excoquitur ferri fornacibus igni,  
 Cum fornax ferri cuspide aperta fuit,  
 Quod forma triquetra in cineres effunditur atros,  
 Anseris à simili corpore nomen habet.  
 Hæc super anseribus, MARTINI & origine sacri,  
 Imparibus cecinit nostra Thalia modis.  
 Ad vos nunc redeo, vos ò mea pectora vates,  
 Ut vos, sic mecum quos ligat, una fides.

*GISBICE* imprimis, quo non mihi iunctior alter,  
Dum me *Vulpiades*, dum tua *Praga* tenet,  
Quos ceu fundendo certare ex tempore versu,  
Tempora sic vino perdere saepe iuvat.  
Scitis, quid sibi nunc sacra *MARTINALIA* possant,  
Quid mos, quid genius, caelestis ille velit.  
Nam vetus hic mos est, nunc lata indicite vobis,  
At capitis poenam caelitus huius arj.  
Sed video, structa ara foci, sententia dicta est,  
Illa litare suo sanguine debet arvis.  
Ut video, mactatis arvem, et quos nostis amicos,  
Ad festas epulas lux hodierna vocat,  
Sic decet et dignum est, sine vita vivere nil est,  
Nil sine amore dies, cui *Venus* alma favet.  
Cum semel occidimus, quam multa et candida nobis  
Sub terra positus lux genialis abit!  
Vivite nunc ergo, et genio indulgete sodales,  
Quis scit, an adiciat crastina fata dies?  
Sed satis est, verubus sudans *MARTINVS* anser  
Non sinit, assatus iam propè, plura loqui.

FINIS.



AD AVTOREM.

**Q**uas tibi, quas docto reddā pro carmine grates,  
 Quo me doctorum culta per ora vehis?  
 Immó vivere das: ut tu quoq; vivere possis,  
 Efficiam quondam, qua ratione, rogas?  
 Sunt nonnulla mihi Phæbiq; novemq; sororum  
 Munera, de Genio Clingere facta tuo.  
 Sunt volucres, anate est turdoq; voracior anser,  
 Quem tu mille modis, carminibusq; canis.  
 Illa tuæ famæ, quā vivus ad æthera ferris,  
 Hunc totum mensæ sacro dicoq; tuæ.  
 Sacro, sed assatum, pomisq; pyrisq; refertum:  
 Sic meruit, vinco, si meruisse negas.  
 Asper erat, toties strepitu de nocte silenti  
 Fecit, ut è stratis, languida membra levem.  
 Excussit somno, studia interrupit, & ultra  
 Quid fecit socio, percipe (amābo) meo:  
 Is quondam stabulo inclusit lufurus amicam,  
 Inclusam, prudens esse sciebat anus.  
 Verum ignara loci, rimatur singula, lustrat,  
 Perquirat, tacito lumine, singula obit.  
 Ventū erat ad stabulum, liquisset, nī improbus anser  
 Prætereuntem altā voce vocasset anum.  
 Ingreditur rata furem intus, trepidamq; puellam  
 Crinibus arreptam pænè ligone necat.  
 Et dubitemus adhuc pænam meruisse necemq;,  
 Noxia cum toties damna subinde daret?

Ergo agite ò socij, manifesto crimine victum,  
Et quotquot mensæ gaudeo adesse meæ,  
Figite, nec cultris, nec parcite dentibus ipsis,  
Figite, ne posthac tot dare damna queat.  
Tuq; vel inprimis, hoc me qui carmine maestas,  
Maestatam & tostam Clingere fige feram.  
Vtq; sit apta magis, tibi pocula dena propino,  
Quæ te saluum optant, incolumemq; diu.

*Johannes Czernovicenus.*

AD ORNATISS. VIRVM,  
DN. IOHAN. CZERNOVICENVM, DE  
celebratione Martinalium ipsius,  
Anno M. DC. VI.

SCAZON CLINGERII.

**P**romissa nunc apparere CZERNOVI,  
Tu JANE MARTINALIBVS tuis binos  
Vater receptus, TINNEVM atq; LISBICVM.  
Pyladen tuum, maestatus est & appostus  
Tam grandis & tam pingvis anser, & cornu  
MARTINIANVM ponderis fuit tanti, ut  
Illis ferendis vix satis forent binj.  
Quid de liquore Bacchiso loquar? Bacchi  
Exhausimus tres quinq; congios ferme,  
Non unius, sed triplicis, probatig.  
Accessit animus letus, & boni vultus.

Nec

*Nec Imperantis, aulicus velut mos est,  
 ( Sat. sunt in aula, qui bibunt in augusti  
 Longævitatem Caesaris, salutemq; )  
 Nostram in salutem bibimus & Poetarum,  
 Præcunte lychno donec admodum potos  
 Serus reduxit inde nos domum vesper.  
 Incommodj nec accidit mihi quicquam,  
 Nisi quod interdum per orbitam canj  
 Madens & ipse cæculum puer duxit.  
 Tu vive, JANE CZERNOVICE, cum tota  
 Domo tua, cum liberis & uxore,  
 Semperq; cum re floreas tua tota,  
 MARTINIANAS totaq; sis super lucas,  
 Quot anseres maculantur hoc die festo,  
 Et sive ero, seu quis fuisse me dicat,  
 Seu PRAGA cernet ampla, sive non cernat,  
 Semper vetusti sis memor tui vatis.*

FINIS.

